



sepeliendique 19). Eod. anno Praepositus Ettersburgensis *Synzo* instinctu *Wichmanni* Ecclesias Appoldanas superiorem et inferiorem, quas hic a. 1119. cum octo aliis Ecclesiae Moguntinae donauerat, pro Ecclesia in *Fluhrstaedt* a Praeposito Ecclesiae B. M. Erfurtenfis *Embricone* recepit, additis insuper quibusdam bonis in *Hucheleiben* (*Heichelheim*). Sub idem tempus ossa Comitis *Bezelini* ad preces *Wichmanni* e superiori Ecclesia Appoldana translata sunt in Ettersburgensem 20). Qui *Bezelinus* 21) fuit sine dubio *Wichmanni* consanguineus, sed quisnam fuerit? aut quomodo *Wichmannum* consanguinitate attigerit? me plane fugit, nisi forte sublit *Burchardus* Comes, qui a. 892. Ducatum Thuringiae adeptus 22) et a. 908. Ungaris s. Hunnis Thuringiam petentibus manu armata resistens ab iis occisus est 23), atque a quo Serenissimos Electores et Duces Saxoniae deducit magnus his in rebus *Eccardus* 24), vel filius eius aequiuocus. Operae pretium foret, curatius hanc rem indagare.

A. 1190. *Luto*, Praepositus Ettersburgensis, interfuit actui, quo *Christianus*, Aepisc. Mogunt. *Parthenoni Ichtersbusano* quasdam sanctorum reliquias consecrauit 25).

A. 1227. Litem inter *Conradum*, Praepositum Ecclesiae Erfurt. B. M. V. et *Vlricum*, Praepositum Ettersburg. de Ecclesiis Appoldanis ortam diremit *Sigfridus* Aepisc. Mogunt. ita, vt istae Ecclesiae cesserint *Conrado*, *Vlricus* autem Ecclesiam in *Kezzeleri* vicissim acceperit 26).

A. 1280.

19) per idem Dipl.

20) de Guden. l. c. p. 56. 57. *

21) *Bezelinus* est diminutiuum *Burchardi*. *Eccard. Geneal. Habsburg.* col. 71. 73.

22) *Regino* ad a. 892. ap. *Pistor. S. R. G. T. I. p. 94. Annal. Sax. ad a. eund. ap. Eccard. Corp. med. aev. T. I. col. 230.*

23) *Marian. Scot.* ad a. 908. ap. *Pistor. l. c. p. 644. Sifrid. Presb. ad a. eund. ap. eund. p. 1032. Annal. Sax. ad eund. ap. Eccard. l. c. col. 238.*

24) in *Geneal. Sax.* col. 46. seqq.

25) *Schumacheri Collect. mixt. rer. Thur. P. V. p. 45.*

26) vid. *Diplom. nostr. III.*